



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Candidatus Abbreuiatus Jurisprudentiae Sacrae, Hoc Est,
Juris Canonici, Secundum Gregorii Papae IX. Libros V.
Decretalium Explanati Summa, Seu Compendium**

Pichler, Vitus

Augustae Vindel., 1733

Titulus XVI. De Sacramentis non iterandis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63440)

TITULUS XVI.

De Sacramentis non iterandis.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Sacramentum, & quæ reiterari nequeant.*
2. *Quid si in his aliquid fuerit omiſſum.*

1 **S**acramentum Novæ Legiſ, ut definit Catechiſmus Romanus, eſt ſignum aliquod ſenſibile (ſcilicet practicum) gratiæ inviſibilis ad noſtram Juſtificationem Divinitus inſtitutum. Unde ſingula Sacramenta requirunt rem ſenſibilem velut materiam, certa verba tanquam formam, & perſonam Miniſtri intendentiſ facere, quod Chriſtus inſtituit, & per applicationem materiæ ac per verba ſignificatur. Tria ex Sacramentiſ, que interveniente unctiõne conferri ſolent, imprimunt characterem in anima, ſeu ſignum aliquod ſpirituale indelebile, nimirum Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Trid. ſeſſ. 7. can. 9. de Sacramentiſ in genere. atque ideo reiterari non poſſunt, h. e. ſemel validè collata de novo conferri validè aut ſuſcipi. Trid. lo. cit. & qui hoc attentarent ſcienter, graviffimum Sacrilegii peccatum committerent.

- 2 Dico. Si in collatione Ordiniſ (Confirmatiõniſ, Baptiſmi) certò fuit aliquid omiſſum, quod pertinet ad eſſentiam taliſ Sacramentiſ, de novo totaliter conferri debet: ſi verò, quod omiſſum eſt,

De Sacramentis non iterandis. 179

est, non spectet ad valorem, sed solum requiritur ex præcepto, cautè (h. e. debita cum reverentia, & cura, ut evitetur scandalum) supplendum est. Text. & DD. in c. 1. h. t. *Obje.* in c. 3. eod. habetur, quòd, si in ordinatione Presbyteri, vel Diaconi, omiſſa fuerit impositio manuum, ordinatione non sit reiteranda, sed supplendum, quod omiſſum: sed impositio manuum est de essentia Ordinationis saltem Presbyteri: ergo. Resp. ibi est sermo de prima manuum impositione, quæ in Ordinatione Sacerdotis præcedit porrectionem patenæ cum hostia &c. qua confertur potestas conficiendi Eucharistiam & sacrificandi; & hæc impositio non est de essentia Ordinationis Sacerdotalis (ut nulla impositio est de essentia Ordinationis in Diaconum) ut omnes fatentur: sed tantum altera impositio manuum, qua traditur potestas absolvendi à peccatis, est de essentia Ordinationis Sacerdotalis inadæquatæ. Vel est sermo de impositione manuum, quæ non est facta per contactum physicum, qui ex præcepto Ecclesiæ tantum, non ex necessitate Sacramenti requiritur. Dixi, *certò*; si enim dubium duntaxat sit, an aliquid essentiale sit omiſſum, sub conditione conferri potest, imò Sacramentum Baptismi, & Ordinis, saltem Sacerdotalis, debet ob summam necessitatem Baptismi, & ob gravia animarum præjudicia, si sacerdotium non validè esset collatum.

